



# Disputatio juridica inauguralis de sponsalibus

<https://hdl.handle.net/1874/347316>

DISSERTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
DE  
SPONSALIBUS,

48.

QUAM,  
AUSPICE DIVINO NUMINE

*Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

D. HERMANNI van HALEN,

S.S. Theologiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ  
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii, Verbique Divini ibidem in  
Ecclesiâ Præconis,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimæque  
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis  
ritè & legitimè consequendis,

*Eruditorum examini subicit*

THEODORUS MUILMAN.

A. D. Decembris, horâ locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiae  
Typographi, clō Ic LXXXIX.

VIRIS.  
AMPLISSIMIS. AC. CLARISSIMIS.  
D. LUCAE. VAN. DE. POLL. J. U. D.  
EJUSDEMQUE. FACULTATIS.  
IN. INCLYTA. HAC. ACADEMIA.  
COD. PROFESSORI. ORDINARIO.  
REI. LITERARIÆ. ET. ANTIQUITATUM. EXPERTISSIMO.  
STUDIORUM. SUORUM. INSIGNI.

D. HENRICO. COCCEJO. J. U. D.  
ANTEA.  
SUMMI. REGIMINIS. ELECTORALIS. PALATINI.  
CONSILIARIO.  
SUMMI. ITEM.  
REVISIONUM. CONSILII.  
ASSESSORI.  
AC. DECRETALIIUM. PANDECTARUM. ET. JURIS. GENTIUM.  
NUNC.  
IN. HAC. ALMA. TRAJECTINA.  
JURIS. PUBLICI. ET. JURIDICÆ. FACULTATIS.  
ANTECESSORI. PUBLICO.  
MANUDUCTORI. SUO. IN. STADIO. JURIDICO.  
CONSULTISSIMO.  
SUBTILISSIMO.  
SOLIDISSIMO.  
PROMOTORI. GRAVISSIMO.

HANC  
DISSERTATIONEM. INAUGURALEM.

ὡς τιμητικὴν τῆ χειρὸς τοῦ Διμῆ

OFFERT. ET. INSCRIBIT

AUCTOR.





DISSERTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
DE  
SPONSALIBUS.  
CAPUT PRIMUM.



tipulari & Spondere uxores futu-  
ras, priscis temporibus absque dubio  
moris fuit: Unde & Sponsalia à  
spondendo dicta, & Sponsi Spon-  
sæque appellatio nata est. Ulpiano  
& Florentino testibus (a.) Hujus [a] l. 2. &  
moris vestigia apud Plautum non 3. ff. h. t.  
paucæ extant, in Aulularia. Act. 2.  
Sc. 2. ubi Megadorus Euclionis fi-  
liam ita stipulatur.

*M. Quid nunc? etiam mihi despondes filiam? E. illis legibus,  
Cum illa dote, quam tibi dixi. M. Sponden' ergo? E. Spondeo.*

## 4 DISSERTATIO JURIDICA

Eodemque modo, qui mulierem nuptum dabat, rogabatur, ut apud eundem Curcul. Act. 5. Sc. 2. Phædromus à milite ita stipulatur :

*Spondes ne, miles, hanc uxorem mihi?  
Cui miles respondit. Spondeo, Curculio vero,  
Et Ego hoc idem unum Spondeo.*

Egregius, ad hanc materiam, & ad illustrandum veterum Sponsaliorum usum, est locus A. Gellii. Noct. Att. Lib. 4. C. 4. ubi Servium Sulpitium in libro de dotibus scribere, narrat, hoc more atque jure in ea parte Italiæ, quæ Latium appellatur, Sponsalia fieri solita.

*Qui uxorem inquit, ducturus erat, ab eo unde ducenda erat, stipulabatur eam in matrimonium ductum iri. qui daturus erat, iidem spondebat daturum. Is contractus stipulationum sponsionumque dicebatur Sponsalia. Tum, qua promissa erat, Sponsa appellabatur; qui sponderat ducturum, Sponsus. Sed si post eas stipulationes uxor non dabatur, aut non ducebatur; qui stipulabatur, ex sponsu agebat, iudices cognoscebant. Iudex quamobrem data acceptave non esset uxor, querebat. Si nihil iusta cause videbatur; licet pecunia aestimabat: quantisque interfuerat eam uxorem accipi aut dari, cum qui sponderat aut qui stipulatus erat, condemnabat.*

Hoc jus Sponsaliorum dicit Servius observatum, ad id tempus, quo civitas universo Latio, lege Julia, data est.

[b] l. fi à  
Sponso 16.  
C. de don.  
ante Nupt.  
[c] l. 7. ff.  
h. t.

[d] l. 9. 1.  
22. C. de  
Nupt.

[e] l. ult.  
C. de don.  
ante Nupt.

[f] d. l. 9.  
& 22. C.  
de Nupt.

[g] l. 4. 1.  
nit. ff. h. t.

(Interdum etiam osculo contrahentium interveniente Sponsalia constituebantur.) (b.) Sponsio autem illa semper facta non est interveniente stipulatione, postea enim receptum, qualemcunque promissionem, etiam sine stipulatione, vel scriptura sufficere. (c.) nec & arrhæ requiruntur. (d.) ut enim conjugium sine dote esse potest, (e.) ita Sponsalia sine arrhis. (f.) & quia solo consensu hodie constant, non modo inter præsentis, sed etiam absentes, per nuntium, literas, procuratorem rectè ineuntur. (g.)

C A



CAPUT SECUNDUM.

Sponsaliorum verbum Homonymum est, significat  
 I. Repromissionem futurarum nuptiarum. (a.)  
 II. Arrhas sponsalicias. (b.) III. Sponsaliciam dona-  
 tionem, qualis est donatio propter nuptias. (c.) IV. Ali-  
 quando etiam apud Veteres Coenam, quæ stipulationis  
 istius gratia, præberi solebat à Sponsa. Cic. Epist. 5. lib.  
 2. ad Qu. fratrem, *Sponsalia Crassipedi præbui.* & Seneca.  
*Surgam ad Sponsalia, quia promisi: quamvis non concoxerim.*  
 Hoc loco primam significationem amplectimur, in qua  
 Sponsalia definiuntur, quod sint mentio & repromissio fu-  
 turarum nuptiarum. (d) Ut apud Græcos dicitur *μνηστis*,  
 vel *μνηστία*, quibus etiam aliud fuit, *μνηστειδης*, aliud  
*μνηστειν*; & etiam in populo Dei distincta hæc fuisse olim,  
 Josephi & Mariæ exemplo apparet. Matth. Cap. 1. vers. 18.  
 & Deuteronomii Cap. 20. Vers. 7. *Quis est homo qui despon-  
 dit uxorem & non accipiat eam? Vadat & revertatur in domum  
 suam, ne forte moriatur in bello, & alius homo accipiat eam.*  
 Definiri etiam Sponsalia hoc modo possunt cum Hotom.  
 qui loco mentionis & repromissionis definit, mutua repro-  
 missio. Ratio, quia mentio ista nuptiarum propriè non  
 sint Sponsalia, sed nuptiarum duntaxat spes. (e.) Dicit  
 mutua repromissio, quia tam virum mulieri, quam mulie-  
 rem viro repromittere oportet, unde olim pater puellæ di-  
 cebatur spondere, adolescentis autem despondere. Id ob-  
 servant. Terent. Andr. Act. 1. Sc. 1. Adolph. act. iv. Sc. vii.  
 Cic. 1. de Oratore &c.

[a] Ulpia-  
 nus. l. 1.  
 ff. h. t.

[b] l. 1. in-  
 fin. C. si  
 nuptiæ ex  
 rescripto  
 pet.

[c] l. 3. C.  
 de don. an-  
 te nupt.

[d] l. 1.  
 ff. h. t.

[e] l. 13.  
 ff. § 3. de  
 Adult.

## CAPUT TERTIUM.

**M**ultifariè jure dividuntur Sponsalia, alia enim sunt de præfenti, alia de futuro. [a.]

De præfenti hodiè vix distinguuntur à nuptiis, sed habentur pro vero matrimonio: cum sc. quis puellæ purè, sine conditione, & simpliciter se promittit, coram parentibus, aliisque intervenientibus consanguineis: hujusmodi Sponsalia ita inita, constituunt verum matrimonium; quamvis copula carnalis non intervenerit, juxta tritum illud, *Nuptias non concubitus sed consensus facit* & affectio maritalis. [b.]

De futuro sunt, ut Cap. 2. definivimus.

Alia sunt jurata, alia non jurata. [c.]

Alia publica, quæ contracta sunt coram iis, quorum consensus desideratur: vel clandestina, quæ non ita sunt contracta. [d.] Denique distinguuntur in pura [e.] & conditionalia [f.] & hæc iterum pro differentia conditionum in valida & invalida.

Jus autem civile quamvis pura & in diem & sub conditione, admittat Sponsalia, at tamen unum tantum Sponsaliorum genus agnoscit, mutuam videlicet promissionem de futuro matrimonio ineundo.

Spons. duor. [f] c. ult. de proc. in 6.

[a] c. 25.  
& c. 31.  
X. h. t.

[b] l. cui  
fnerit. 15.  
ff. de con-  
dit. & de-  
monst.

l. 30. Reg.  
Jur. l. 32.  
si mulier.

§. 13. ff. de  
donat. in-  
ter vir. &  
uxor.

[c] c. 2. c.  
Requisivit.  
de Spons.

[d] c. 2.  
inpr. c. 3.

§. 1. extr.  
de Clan-  
dest. de-  
spons.

[e] c. pen.  
h. c. 3. de

[a] l. si quis  
tutor. 60.  
§. 5. ff. de  
ritu nupt.  
l. Orat. 16.  
ff. h. t.

**C**ontrahunt Sponsalia, qui & nuptias, ubi enim nuptiæ interdictæ sunt, ibi Sponsalibus, quæ sunt aditus nuptiarum, locus esse non potest. (a) *Scias enim*

*enim*



# I N A U G U R A L I S. 7

enim quod de nuptiis tractamus, & ad sponsalia pertinere, Modestinus. [b]

Ætas autem contrahentium, in contrahendis Sponsalibus non est definita, ut in matrimonii. Quapropter & à primordio ætatis Sponsalia effici possunt, si modo id fieri ab utraque persona intelligatur. Id est, si non sint minores, quam septem annis, Modestinus. (c) Non obstat quod Suetonius in Augusto Cap. 34. scripserit, tempus illud habendi Sponsas ab Augusto esse coarctatum; & prohibitum, ne quis Sponsas decem annis minores haberet: qui non vetat, ne ante decennium contrahantur Sponsalia, sed solummodo, ne in fraudem pænarum lege Julia Papia cælibatui indictarum Sponsi pro maritis haberentur, nisi decem annis ad minus despondissent, quam biennio post ducerent uxorem.

Plerumque etiam parentes pro impuberibus Sponsalia contrahere solent, officium enim parentum est, liberos collocare & dotare. (d)

Quædam verò personæ Sponsalia contrahere prohibentur, ob vinculum cognationis vel affinitatis.

Propter cognationem in linea recta in infinitum prohibentur. (e) Ratio prohibitionis consistit in reverentia naturali parentibus debita, & in confusione sanguinis incesta (f) Levit. cap. 18. ver. 7. 8. *Nuditatem patris tui, aut nuditatem matris tue ne retegito: mater tua est, ne retegito nuditatem ejus.*

In linea collateralis Sponsalia prohibentur in secundo & tertio gradu, (g) non in quarto, (h) nisi inter eas personas, quæ inter se parentum liberorumque locum obtinent. (i.)

Quo autem gradu ratione cognationis, eodem ferè gradu, ratione affinitatis prohibentur. (k)

[b] l. 15. in fin. ff. h. t.

[c] l. 14. ff. h. t.

[d] l. coguntur. 19. ff. de ritu nupt.

[e] l. 53. ff. de ritu nupt. §. r. instit. de nupt.

[f] l. fin. ff. de ritu nupt.

[g] l. ult. C. de incestis nupt.

l. 17. nemi ni C. de nupt.

[h] l. 3. de ritu nupt.

l. 19. celebrandis. C. de nupt.

Numeri c. 36. vers. 11.

[i] d. l. 17. C. cod. vidi.

l. 1. §. 6. l. 10. §. 15. ff. de grad.

(k) §. 6. Instit. & seqq. de nupt.



## CAPUT QUINTUM.

UT sponsalia rectè contrahantur, requiritur consensus parentum, ( eorum sc. quorum in potestate sunt [a], ) & eorum qui conjunguntur [b]. Meritò enim in liberos Imperium pater sibi vindicat. Ut docet Imperator *pr. Institut. de Pat. Pot.* [c] & æquum est, ut refert Theophilus *in pr. Tit. Institut. de Nupt.* parentes qui liberos educaverunt, hoc saltem honoris habere, ut illorum matrimoniis consentiant, ex quibus hæredes expectant. Non immeritò ergo damnatur liberorum rebellio, qui tam contemptam habent patriam potestatem, & leges quæ naturali ratione subnixæ sunt, flocci pendunt, ut ex invito parentis ædibus aufugere, & conjugem pro lubitu quærere audeant. Nec potest major injuria parentibus fieri, quam si in hac obligatione tanti momenti eorum spernatur auctoritas, in qua summam spei suæ collocarant. Ipsumque hoc Lex Divina requirit ac jubet. Vix enim ullum Dei præceptum extat, quod promissionis Divinæ præmium habeat adjunctum, præter illud, quo parentes honorare jubemur. *Exod. 20.* ubi *JEHOVA* Deus promulgata lege pollicetur longam vitam atque cælestem benedictionem iis, qui parentes amore fuerint profecuti. Quam porrò utilitatem Reipublicæ etiam præstet, & necessarius in prosperitatem familiarum sit parentum consensus, quotidiana experientia docet. Sæpissimè enim ex parte Juvenum & puellarum nimis vera sunt verba legis 26. C. de Nupt. videlicet, *ex affectu omnes nuptias consistere.* Nec mirum, illorum enim inconsulta ætas non permittit, ut sibi satis benè prospiciant, & vitæ consortem ex præmeditato consilio seligant, quo præ vehementissimo amore ali-

quando

(a) l. 16. §.  
i. l. 35. ff.  
de Ritu

Nupt. l. 1.  
ff. de obl.  
parent.

(b) l. 7. §.  
i. l. 11. 13.  
h. t.

(c) l. 3. ff.  
de his qui  
sui vel. al.  
Jur.



quando uti non possunt ; quis non audit vulgo jactari proverbium, *amanti nihil esse difficile?* quis non videt hac causa cæcum pingi Cupidinem, quod qui hujus sagittis sunt faucii, sine intellectu absque ratione vivant, nihil vereantur, nihil exhorreant, sed cæcorum more ipsi se præcipitent. *Quam diu enim menti error obsusus est,* inquit Seneca epist. 94. *nihil proficient consilia, nihil præcepta.* Sed,

*Fertur equis Auriga, nec audit currus habenas.*

Summoperè igitur necessarium, ut temeraria illa & inconsiderata liberorum libido alligetur paternæ potestatis fræno, & pietas parentum optimum pro liberis consilium capiat. [d.] Sed sicuti parentum assensus & auctoritas in conjugis rectè requiritur, ita etiam ista auctoritate non debent abuti, quoniam patria potestas non in atrocitate consistere debet, [e.] & suadendi erunt parentes, ne acerbè jure suo utantur, & liberis, quando nulla justa ratio datur, impedimento sint, quo minus vota sua possint explere, ne sibi postea copiam pænitiæ faciant : & manifestissimum exemplum nobis ob oculos ponit Vir Nobilissimus Joh. ab Heemskerk, dum viveret, supremæ Hollandiæ curiæ Senator, in tractatu suo lepidissimo, cui titulus *Batavische Arcadia* [f.] ubi amantium, qui ex familia se abducebant, quia pater à noverca inductus, consentire nollet, lachrymabilem exhibet historiam, manibus enim sibi invicem collo annexis, per submersionem aquæ infeliciter periisse refert ; quibus amantibus nihilominus post tam infausta fata ex jussu patris, unum contigit sepulchrum : pænitiâ enim commotus noluit, ut, quos fidelis amor conjunxerat, infelix funus postea divelleret. Quibus etiam non incongruè applicat Auctor Nob. Ovidiana illa de Pyramo & Thisbe. [g.] hisce versibus :

*Persequar extinctum, Lethique miserrima dicar,  
Causa comesque tui, quique a me morte revelli*

B

Heu!

(d) l. nec in ca 22. §. ult. ff. ad Leg. Jul. de adult. [e] l. Divus Hadrianus §. ff. ad leg. Pomp. de parricid.

(f) p. 142. 143. 144.

(g) Metamorph. l. 4. fab. 4.



*Hæu! solâ poteras, potervis nec morte revelli.  
His tamen amborum verbis estote rogati,  
O multum miserieque mei, illumque parentes,  
Ut quos certus amor, quos hora novissima junxit,  
Componi tumulo non inuideatis eodem.  
Vota quidem tetigere Deos, tetigere parentes  
Quodque rogis superest, una requiescit in urnâ.*

(h) Genef.  
24.

(i) l. non  
cogitur.  
21. 22. &  
l. invitam  
28. ff de  
Ritu Nupt.  
l. nec fi-  
lium. 12.  
C. de Nupt.  
l. 14. C.  
eod. l. 5. in  
fine. C. de  
Sponsal.

Diximus & eorum consensum requiri, qui conjunguntur, quod & verissimum, [h.] nam ut liberi absque consensu parentum Sponsalia contrahere nequeunt, ita nec parentes liberos invitos ad contrahenda cogere possunt. [i]. Sic ut puella licitè amatori suo gratissimo hoc effato gratificari possit. *Nulli nubam nisi tibi*: si nempe parentes voluerint tibi, at alteri nunquam. Elegans hujus rei formula extat, apud Barclaum *in elegantissima sua Argenide* lib. 3. ubi *Argenis Poliarcho suo ita se spondet*: sint conscii Dii, me hæcenus ad hæc pacta descendere; ut spondeam nulli me nisi Poliarcho nupturam. nec parentis in me imperio in totum detraho; *illo jubente nulli nubam, at alteri nunquam*. nec minus eleganter *idem eodem libro*: plurima (*inquit Argenis*) Poliarche in te amavi, sed præcipuè fidem & plerisque virorum ignotam modestiam: diu est quod, non spreto quidem patris imperio, sed omisso, te sponsum appellavi, nunc iterum opes meas, fortunam, amicitiam, qua licet, tibi trado; & per utriusque fata obtestor, nulla vis ab hoc Sacramento me absolvet. *Nullius unquam nisi Poliarchi, erit Argenis*: Si Dii sinant ut felicibus Hymenæis jungamur, tum plenum beneficium Fatis debebimus: sin malignior fortuna conatus nostros everterit, ego tamen incorrupta in tumultum succedam, & saltem animorum inter nos matrimonium erit.

(k) l. 11. ff.  
eod.  
(l) l. 13. ff.  
h. t.

Distinguunt tamen inter filium & filiam familias, sc: quod filia consentire debeat, [k.] sufficiat verò filium familias non dissentire. [l.]



## CAPUT SEXTUM.

**C**onsensus præterea, quo præcedenti capite diximus Sponsalia fieri, est vel purus, vel conditionalis;

Purus, quo simpliciter sine ulla conditionis aut diei mentione duo in futuras nuptias consentiunt. (a.) quem plerumque comitantur arrhæ Sponsalitiæ. (b.) de quibus cap. sequenti amplius.

(a) §. 2. instit. de verb. oblig.  
(b) l. 38. de ritu. nupt.

Conditionalis est, cum duo quidem consentiunt in futurum matrimonium, quodque quidem vitæ consortes esse velint, sed ea lege ut aliquid fiat, aut non fiat: talia Jacobi & Rachelis Sponsalia fuerunt, sub conditione servitii septemnalis inita, cum patre Laban. Genes. cap. 29. vers. 18. & 19.

Conditiones porro adjiciuntur, vel impossibiles, ut si quis dicat, ducam te in uxorem, si Calum digito tetigeris, aut, si cras moriar.

Vel contrariæ matrimonii substantiæ, ut si quis ita promittit, contraho tecum, si prolis generationem evites.

Quæritur jam an hæ conditiones Sponsalibus appositæ, vitient Sponsalia, an verò vitentur ipsæ, & Sponsalibus salvis pro non adjectis habeantur? qui Affirmativam præferunt, hac nituntur ratione, quod in favorem ultimarum voluntatum conditiones heredis institutionibus, legatis & fideicommissis adjectæ, si impossibiles aut turpes fuerint, pro non adjectis habeantur, (c.) & quare matrimonii favor minor esset, quam ultimæ voluntatis? Nobis autem Negativa magis arridet, est enim hic promissio inter duas personas; quarum voluntas ab utraque parte debet constare, in hujusmodi verò actu talis cogitatio est, ut nihil agi existiment, appositis iis conditionibus, quas sciunt esse impossibiles. (d.) & certum est eum, qui tales conditiones adjicit, alterum

(c) §. 10. instit. de Her. instit. l. 5. C. de instit. & substit. l. 9. ff. de condit. instit.

[d] Arg. l. 31. de O. & A. l. 7. de verb. obl. l. 4. §. 1. de statu lib. §. 10. instit. de inut. stip.



[e] l. 213.  
de verb. S.  
§. 2. instit.  
de verb.  
obl.

ludibrio habere, & nolle ut unquam conjux sibi existat.  
Denique dies si adjiciatur Sponsalibus, promissio seu obligatio ipsa quidem non suspenditur, sed antequam dies venerit, agi non potest. (c.)

## CAPUT SEPTIMUM.

[a] d. ll. 9.  
& 22. C. de  
nuptiis.

[b] l. 11. §.  
6. de act.  
emt. &  
vend. l. 5.  
§. 15. ff. de  
infl. act.

Quamvis Arrhæ ad Sponsalia contrahenda non requirantur, (a.) ut supra diximus, solent tamen ex superabundanti aliquando istis adjici, ut arguant Sponsalia esse perfecta, utque eo fortius ad observanda illa ineundumque matrimonium Sponsus & Sponsa obstringantur. Cujus autem sint materiæ parum interest, plerumque tamen annulos, (b.) aut catenas, nummosve, tum aureos, tum argenteos, arrharum loco dari in usu fuit. Quod quidem arrhæ genus primis patribus etiam familiare fuisse constat, ministrum enim Abrahami in Sponsalibus Isaaci *ραμῆλια* aurea & argentea, arrharum loco distribuisse legimus. Genes cap. 24.

Historiam lectu jucundissimam exhibet nobis Kirchmannus, de Imperatore nostro Justiniano, in libello de annulis. Ubi ex Aimoino *lib. 2. de gestis Francorum cap. 5.* fabulatur, Justinianum Antonia Amazonis captivæ concubitu fruitum, dato annulo spondidisse, se illam in matrimonium ducturum, si unquam ad imperium perveniret, quod etiam fecit.

Sic incip. *Quadam die Justinianus & Belisarius lupanar ingressi, conspiciunt duas mulierculas ex gente Amazonum, sorte captivitatis abductas, inibi esse prostitutas. Eas illi rapiunt, atque ad proprias domos deducunt: una earum Antonia, alia vocabatur Antonina, & Antoniam quidem Justinianus, Antoninam verò accepit Belisarius: erantque amba sorores; una*  
ergo



ergo dierum, Justiniano meridiano horis sub dio quiescente, cum caput in sinum sua reclinasset amata, adveniens aquila, alis expansis, ab ardore Solis eum conabatur defendere. Intellexit mulier auspiciam, quod Justiniano portendebat imperium, & experrectum tali voce, compellat virum: Oro inquit, amantissime juvenis, ut dum regni potitus fueris sceptris, non me indignam judices gratissima amplexibus conjugis. Illo dicente impossibile hoc esse, ut ipse ad culmen proveberetur Imperiale, rogat mulier, ut quod illa pro certo sciebat, ne se inexoratum ei praberet. quo tribuente assensum, factaque commutatione annulorum, utrinque est discessum. Sane Belisarius eique copulata Antonina eadem inierunt fœdera, ut quia non dubitabat Belisarius adepturum se potioris honoris gradum, si imperio potiretur Justinianus, sociam sui eam adscisceret stratus. Et aliquando post, cum narrasset, quomodo Justinianus imperium adeptus esset, subjungit; Justinianus quoque Augustus cum magno triumpho Constantinopolim est regressus. Tunc Antonia ejus quondam amata, sui quondam oblita, sumptis quinque aureis Palatium est ingressa: è quibus duos dedit janitoribus, ut sibi pateret introitus, tres verò tenentibus cortinam, ut suam permitteretur enarrare causam: & stans ante Principem, hunc apud eum habuit sermonem; cum scriptura dicat, honor Regis judicium diligit: & item; Rex qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum introitu suo. Ego, Clementissime Imperator, hæc dicta esse de te intelligens, fiduciam sumsi te adveniendi, tibi que propria necessitatis causam exponendi. Est denique in hac civitate juvenis, qui mecum permutatis annulis, fidem pepigit alterni amoris, professus, quod me sibi jungeret sub nomine legitima conjugis. Ob id Serenitatis tue presentiam adi, tui super hac re exposcens sententiam judicii. Cui Imperator, si inquit, fides est pacta, non debet fieri irrita. Quo illa audito, annulum suo detrahens digito ostendit Augusto: videat, ait, Dominus meus cujus iste fuerit annulus. Agnoscit Princeps eum, quem dederat, annulum: jubet eam introduci in cubiculum, ornamentisque Regalibus indutam, de cetero vocari & esse Augustam.

AD-



## 14 DISSERTATIO JURIDICA

Annulum hunc, veteres Græcos & Romanos habuisse in digito sinistræ manus, qui minimo est proximus, reddit A. Gell. ex Appione. lib. 10. cap. 10. Quòd infectis aper-  
tisque humanis corporibus, ut mos in Ægypto fuit, quas Græci *ἀνατομᾶς* appellant, repertum est nervum quem-  
dam tenuissimum ab eo uno digito, ad cor hominis pergere ac  
pervenire: propterea omnium assensu receptum esse, eum potissimum digitem tali honore decorandum, qui  
continens & quasi connexus esse cum principatu cordis vi-  
deretur. quem morem etiam *Juvenalis* indicat. Sat. 6.

*Conventum tamen & pactum, & Sponsalia nostra,  
Tempestate paras, jamque a tonsore magistro  
Pectoris, & digito pignus fortasse dedisti.*

Non tamen semper annulus iste, qui ab amantibus dabatur futuri conjugii erat symbolum: sed interdum amoris tan-  
tum aucupium. talis enim fuit ille, quem *Palestrio*  
Militi detulit apud *Plautum* in *Milite* Act. 4. Sc. 1. vers. 2.

*Pal. Hunc arrhabonem amoris primum à me accipe.*

*Pyrg. Quid hic? unde est? Pal. à luculenta atque  
Festiva femina, qua te amat, tuamque  
Expetisset pulchram pulchritudinem:  
Ejus nunc mihi annulum ad te ancilla,  
Porro ut deferrem, dedit.*

Nec alio fine *Pamphilus* annulum *Philumenæ* per vim de-  
tractum *Bacchi* meretriculæ donavit, apud *Terent.* in  
*Hecyra.* Act. 5. Sc. 3. Eodemque modo *Ovidius* amicæ  
sux annulum dono misit. lib. 2. Amor. Eleg. 15.

CAPUT OCTAVUM.

**T**antum de forma Sponsaliorum ; restat ut videamus effectum. Et generatim quidem effectus Sponsaliorum ex ipsa definitione cap. 2. intelligitur, ubi diximus, quod sint mentio & repromissio futurarum nuptiarum : quid autem speciatim efficiant, jurisve tribuant, ex hisce apparet.

I. Quod nempè Sponsus, de injuria Sponsæ illata agat. (a.)

II. Quod necessitudinem quandam matrimonium aliud impediendum inducant. (b)

III. Quod Sponsa in repetitione dotis habeat privilegium uxoris. Teste Ulpiano. (c.) *si Sponsa dedit dotem, & nuptiis renuntiatum est : tamen si ipsa dotem condidit : tamen æquum est, hanc ad privilegium admitti, licet nullum matrimonium contractum est.*

IV. Quod Sponsus etiam dotale prædium alienare non possit. (d)

V. Quod quæsitæ à Sponso, ejusdem juris sunt, cujus quæsitæ à marito (e.) Et quoniam potissimum Sponsaliorum effectus in obligatione ac spe futuri matrimonii consistat, sitque (ut vidimus) Sponsa loco uxoris, & Sponsus loco mariti. Idcirco summa ei injuria fit, si Sponsa alii fuerit tradita, aut cum alio concubuerit. Quo casu quamvis illa adulterium non committat, cum nupta nondum sit, neque pœnis Legis Juliæ, subjiciatur, non fert tamen Lex impune illiciti concubitus admissum, sed vindicare illum & Sponsam accusare permittit, non quidem jure mariti, sed Sponsi. vid.

Ulpian. (f.) *Divi Severus & Antoninus rescripserunt, etiam in Sponsa hoc idem vindicandum : quia neque matrimonium qualescunque, nec spem matrimonii violare permittitur.*

[a] l. 15. de injuriis §. 24

[b] l. 12. si qua §. 1. & 2. ff. de ritu nupt.

[c] l. 17. §. 1. ff. de reb. auct. jud. possid.

[d] l. 4. ff. de fundo dot.

[e] l. non sine. C. de Bon. quæ lib. in fine.

[f] l. 13. §. 3. ff. ad leg. Jul. de Adult.

qua



qua parte jus Civile Legibus Divinis laudabiliter suffragatur : nam & Lex Divina Sponsæ violatorem morte plectit. Gen. 38. Deut. cap. 22. vers. 23, 24, 25. & apud Prophet. Hoseam. cap. 4. vers. 13. dicit Deus : *Filia vestra fornicabuntur, & Sponsa vestra adultera erunt* ; quem locum Ant. Matth. (g.) scribit, Hieronymum (h.) exponere, qui ait, *Notandum est, quod in filiabus dicit fornicationem futuram; in conjugibus adulteria; qua Sponsali conventionione iniiantur, & commissione corporum perficiuntur.* Sunt igitur secundum Hieronymum, Sponsæ quali initiatæ conjuges : quas qui violat, conjugium ipsum violasse meritò judicatur.

Ex Sponsalibus nascitur porro obligatio, ad nuptias intra biennium contrahendas. Secundum verba Legis, (i) *Si is qui puellam suis nuptiis pactus est, intra biennium exsequi nuptias, in eadem provincia degens supersederit, ejusque spatii sine decurso in alterius postea conjunctionem puella pervenerit, nihil fraudis ei sit qua nuptias maturando vota sua diutius eludi non passa est.* Nisi justa causa, velut valetudo, ætas, captivitas, necessaria absentia, aut simile quid, dilationem ultra biennium exigat. [k.]

[g] lib.  
XLVIII.  
ff. t. 3.  
[h] in C.  
quaprop-  
ter. 27.  
quæst. 1.

[i] l. 2. C.  
h. t.  
[k] l. 17.  
ff. h. t.  
Groenew.  
dell. abrogat.  
ad. tit. Cod. de Repudiis.  
&c.

## CAPUT ULTIMUM.

Quamvis fidem datam servandam esse Romani voluerint, tamen cum coacta matrimonia difficiles plerumque fortiantur exitus, & ad rixas continualque contentiones maturè præcavendas, quæ inter Sponsum & Sponsam certò orituræ essent, si conjugium inire alteruter eorum invitus cogeretur, ipsis consultum visum fuit, & ad quietiorem civium vitam magis pertinere putarunt, ut non tantum mutuo consensu à Sponsalibus recedi possit, verum & jam alterutrius pænitentia, vel etiam renuntiatione parentum



rentum, quorum in potestate sunt. (a.) non vero curato-  
 rum. (b.) modo id fiat repudio, & quidem misso nuntio,  
 adhibitâ formulâ, *Conditione tua non utor* [c.] &  
 siquidem justam causam pœnitendi dissolvens habeat, veluti  
 ob religionis diversitatem, conversationem turpẽm, coeundi  
 impotentiam, aut impudicitiam, citra fraudem repudium  
 mitti potest. [d.] Ille enim promissâ suâ non violat, qui  
 mutat consilium, mutato statu personæ, quam sperabat  
 habere integram, non verò corruptam. Sic etiam forni-  
 catio Sponsæ Sponso ignorata, dat eius repudiandi, quia  
 talis non est, qualis sperabatur. [e.] quod tamen non pro-  
 cedat, si Sponsus Sponsam virginem esse crediderit, & po-  
 stea vidua sit reperta. Sed imputet potius sibi, quod cum  
 tali contraxit, cujus conditionem melius potuisset indagare,  
 quod secus est in fornicatione, quæ, quia latitat, Sponso  
 non est imputanda ignorantia. Si verò justa causa nulla sit,  
 tum Sponsus causam dans repudio, datas arrhas amittit,  
 Sponsa si per eam steterit, duplicatas restituit. [f.] quod in  
 patre etiam obtinet. (g.) Est tamen distinctio inter majore-  
 rem 25 annis & inter minorem, sc. quod minor, quando  
 à promissis recedit, tantum arrhas acceptas teneatur red-  
 dere in simplum. [h.] Videtur nobis ob stare text. Matth.  
 cap. 19. vers. 6. ubi homo separare prohibetur, quod  
 Deus conjunxit. Sponsum verò & Sponsam Deus conjunxit.  
 Sed respondemus, Christum de conjugio, & non de Sponsali-  
 bus sive promissione conjugii esse intelligendum. per matri-  
 monium enim duo planè junguntur & fiunt una caro,  
 non verò per Sponsalia, quæ repromissio solummodò futuri  
 matrimonii sunt, & spem tantum istius individua conjun-  
 ctionis inducunt.

[a] l. 1. l.  
 ult. in fin.  
 C. h. t. l. 10.  
 ff. h. t. l. 80.  
 ff. de solut.  
 l. 2. C. de  
 Repud. l. 2.  
 §. 2. de di-  
 vort.  
 [b] l. 6. ff.  
 h. t.  
 [c] l. 2. §.  
 2. ff. de di-  
 vort. &  
 Repud.  
 [d] l. 5. C.  
 h. t. l. 15. l.  
 16. C. de  
 don. ante  
 nupt. Nov.  
 123. Cap.  
 39. l. 16. C.  
 de Episcop.  
 aud. l. 38.  
 ff. de ritu.  
 nupt.  
 [e] d. l. 5.  
 C. h. t.  
 [f] d. l. 5.  
 l. 3. C. h. t.  
 d. l. 15. C.  
 de don. ant.  
 nupt.  
 [g] d. l. 5.  
 [h] d. l. 5.

**M**oribus nostris alterâ parte invitâ nemini à Sponsalibus  
 (uti juris est) initis, recedere licet, sed contractum spon-  
 salitium adimplere, & uxorem ducere invitus tenetur, imo  
 etiam

C




etiam cogi potest, nisi iusta penitentiae causa intercesserit, veluti si filius insciis parentibus Sponsalia contraxit; vel si Sponsus contractu antenuptiali in subsidium matrimonii multa conferre promisit, atque postea eum è contra multum aëris, sed alieni, habere compertum sit; nam hoc casu frustra fidem sibi postulat servari ab ea, cui fidem à se præstitam servare recusat obaratus. (i.) Cumque hodie cesset rigida patria potestas, etiam patri concessum non est, suo arbitrio Sponsalia filiae semel ritè inita, dissolvere.

[j] Vid.  
Groenew.  
de ll. abro-  
gatis ad  
Tit. C. de  
Sponsal.  
P. Voet ad  
Tit. instit.  
de nupt.

[k] Groe-  
new. de ll.  
abrogat.  
ad d. l. 6.  
C. h. t.

**C**onstitutio l. 6. C. h. t. de proxenetis seu conciliatoribus Sponsaliorum, (quos nostra Gens *Koppelaars* vocat) releganda est ad Italos, qui cum suspectam habeant filiarum suarum pudicitiam, eas in aëdibus occludere atque strictè custodire solent: ideoque ipsimet, saltem per proxenetas filiabus suis conditionem querere legibus jubentur. (k.)



# A N N E X A.

I.

*Usucapio non pugnat cum naturali  
aquitate.*

I I.

*In sequestrum non transfertur pos-  
sessio.*

I I I.

*Tutoris datio neque imperii neque ju-  
risdictionis est.*

I V.

*Major annis 17. potest esse procura-  
tor ad lites.*

*In*



A X V N N A

Donatio ad pias causas eget insinuatione.

V I

Q. An quarta Divi Pii sit omnium bonorum? Aff.

F I N I S

